Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38125
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

13

quam mortem destruxit, insignia demonstra
runt; homo quippe dominus per incarnationem
mortalis factus apparuit. Vitulus uero id est in
oblatus pro nobis in altari crucis exstitit.
Item leo fortiter subigendo mortem. aquila
ad caelos ascendendo factus est. Atque ideo duo
circuli in latere uno et duo sunt in altero. quia
nimirum duo euangelistae per suam figuram ad
sumptionem in domino humanae fragilitatis. et duo
alii uictoriam qua de eadem adsumpta fragi
litate ac morte triumphauit insinuant.
Nam quasi leuum latus arcae duos habuit cir
culos. cum euangelistae duo incarnationem
domini ac passionem figurarent. Similiter late
ri dextero duo inerant circuli. quod aeque
duo euangelistae resurrectionem atque ascen
sionem eius quae ad futurae gloriae uitae perti
nent figuraliter exprimunt.
Facies quoque uectes de lignis sethim et ope
ries auro, inducesque per circulos qui sunt
in arcae lateribus ut portetur in eis; qui semper
erunt in circulis. nec umquam extrahentur ab eis.
Vectes quibus arca portatur. sancti sunt doctores.
qui dominum praedicando audientium cordibus infer-